

Si impedimentum ætatis consideretur pro integro illo lapsu annorum, qui decurrunt ante annum 14^m. vel 12^m. et præcise consideratur impedimentum ad contrahendum in ætate infantiae, profecto impedimentum hujusmodi est juris naturalis, quia ex jure naturali ad contrahendum matrimonium requiritur ut contrahentes intelligant quid agant.

12. Verum si hoc impedimentum restringatur ad ætatem, in qua adest quidem usus rationis, sed deest habitus corporis, sub quo respectu proprie accipitur impedimentum ætatis, dicendum est impedimentum hujusmodi esse solum juris Ecclesiastici. Nam ad matrimonium contrahendum ex jure naturæ non requiritur actualis capacitas generandi, sed sufficit ut futura sit aliquando. Hinc impotentia tum *absoluta* tum *relativa* ut dirimat matrimonium jure naturæ, necesse est ut sit *antecedens* matrimonium et *perpetua*. Quare si ætas impubertatis ob defectum potentiae generandi, matrimonium dirimit, impedimentum hujusmodi procedit ex positiva dispositione Juris Ecclesiastici.

13. Ex quo duo sequuntur 1^o. impedimentum ætatis distingui ab impedimento impotentiae, 2^o. sequitur in hoc impedimento dispensare posse Summum Pontificem qui id ex gravi et legitima causa concedere potest, ut impuberes, qui tamen completum usum rationis habeant matrimonium valide et licite contrahant, arg. c. 2. h. t., ubi dispensatio ab impedimento ætatis admittitur, solummodo ex aliqua urgentissima necessitate interveniente.

Consulendum est enim imbecillitati ætatis impuberum, qui tam facile non sunt admittendi ad contrahendam perpetuam obligationem, ne eos post susceptam obligationem facile pœniteat et ex matrimonio infelices exitus sequantur.

14. Quæritur utrum matrimonium de præsentibus ab impuberibus nulliter contractum obtineat vim sponsalium.

Diximus *nulliter* contractum, idest contractum ab illis, qui habitu corporis incapaces sunt ad generandum, secus enim valeret matrimonium.

Quo posito matrimonium contractum ab illis, qui actu puberes non sint, non valet uti matrimonium de præsentibus, valet vero ex juris interpretatione ceu sponsalia de futuro. Ita in cap. 14. h. t. cui consonat cap. un. eod. t. in VI^o. § *'Idem quoque'*. Et ratio exhibetur a Bonifacio VIII. Videlicet actus positus, si non valet uti positus est, valet tamen uti possunt illi, qui actum ipsum posuere.

Idest contrahere matrimonium non poterant impuberes; igitur matrimonium non valet; poterant vero sponsalia contrahere, ergo consensus positus inducet obligationem et effectus sponsalitii contractus. Valet scilicet principium legis 27. ff. 8. *De Pactis* § 7. *'si actus non valent ut ago, valent meliori modo quo possint'*. Frustra enim agere nemo præsumitur.

15. Verum si impuberes voluissent absolute contrahere matrimonium de præsentibus, et expresse exclusissent sponsalia de futuro, contractus invalidus sub specie matrimonii, esset invalidus etiam ratione sponsalium. Actus enim agentium non operantur ultra voluntatem eorum l. 19. ff. *Si certum putatur*. Hoc in casu potest invocari principium cap. 23. *De officio Deleg.* *'Quod voluit non potuit, et quod potuit non voluit.'* Cf. Gerald. Juris Pontif. parte 2^a. section. 672.

16. Tandem animadverti debet juxta resolutionem Sacrae Congreg. Concilii 10. Martii 1583, matrimonium nullum ob impedimentum ætatis, si convalidari velit, illud contrahendum esse iterum, servata forma Tridentina, quamvis prius eadem forma servata fuerit. Nam ætas est impedimentum, quod vel est publice cognitum, vel facile cognosci potest in populo Christiano.

TITULUS III.

De clandestina desponsatione.

1. Matrimonium dupliciter præcipue aut etiam tripliciter potest esse clandestinum 1^o. si contrahatur absque denunciationibus de quibus sermo est in cap. ult. h. t. 2^o. si contrahatur absque præsentia Parochi et testium, juxta formam substantialem statutam a Concilio Tridentino in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* 3^o. etiam, si contrahatur absque illis solemnitatibus, quæ ad honestatem actus requiruntur juxta sacram Liturgiam. Sit

I.

De denunciationibus, quæ matrimoniis præmittuntur.

2. Jam antiquitus mos erat, ut presbyteri diligenter inquirerent utrum impedimentum extaret inter eos, qui contracturi essent matrimonium. Verum in Gallia consuetudo invaluerat proclamandi in Ecclesia futurum, inter determinatas personas matrimonium contrahendum ut si quis fidelis notitiam haberet alicujus impedi-

menti, illud Ecclesiae revelaret. Hæ proclamationes appellatæ sunt *Banna*. Cf. Ben. XIV. Epist. '*Paucis ab hinc hebdomadis*' ad Archiep. Goanum die 19. Martii 1758.

3. Hanc consuetudinem particularem, Concilium Lateranense IV. sub Innoc. III. in legem generalem transtulit quemadmodum habemus ex cap. 3. h. t.

4. Concilium Tridentinum dispositionem hanc concilii Lateran. renovavit in cap. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* et expresse statuit, denunciations faciendas esse, ter a proprio paroco contrahentium, tribus continuis diebus festis, inter missarum solemniam, quod si aliquando probabilis suspicio fuerit, matrimonium posse ex malitia impediri, statuit Tridentinum unam tantum denunciationem faciendam esse, vel nullam, sed statim celebrandum esse matrimonium et denunciations, quæ omissæ sunt, faciendas esse ante consummationem matrimonii.

5. Tandem statuit Tridentinum posse Episcopum dispensare circa obligationem faciendarum denunciationum, et rem totam prudenti arbitrio, et conscientie Episcopi remitti.

6. *Primo* igitur a proprio Paroco faciendæ sunt publicationes. Igitur si sponsi ad distinctas parœcias pertineant, ab utroque Paroco *Banna*, seu denunciations publicentur oportet, quemadmodum etiam S. Congregatio, confirmata a Gregorio XIII. declaravit et docet etiam Rituale Romanum in Tit. *De sacramento matrimonii*.

7. Quod si quis in una parochia a notabili tempore domicilium habeat, ita ut in ea habeat proprium parochum ad contrahendum matrimonium, in alia autem etiam diu commoratus fuerit, inspecto jure, denunciations faciendæ non sunt in utraque parochia, sed sufficit ut fiant, ubi actu commoratur. Hæ sunt resolutiones S. Congreg. in *Vercellensi* 9. Maji 1719; in *Senogalliensi* 3. April. 1734. Nam Tridentinum statuit denunciations faciendas esse a proprio paroco; proprius autem Parochus est loci illius, ubi quis commoratur, ibi enim sacramenta recipit, audit verbum Domini, et jus habet sepulturæ, idest ea, quæ sunt curæ animarum obtinet.

Ceterum Parochus alterius Parochiæ libertatem contrahentis poterit investigare juxta dispositionem cap. 3. h. t.

8. Quod si brevis fuit commoratio in nova parœcia, adeo ut verisimile non sit, ibi adesse impedimentorum notitiam, denuncia-

tiones faciendæ sunt etiam in priori parœcia. Ita tenuit S. Congregatio '*in Senogall.*' die 29. Januar. 1684.

9. *Secundo* denunciations fieri debent tribus continuis diebus festis, et inter missarum solemniam.

Quærenti autem Episcopo Brunensi in Moravia, utrum denunciations possint fieri diebus, in quibus non amplius urget præceptum audiendi missam, S. Congr. die 17. Jan. 1780 respondit, in genere esse religiose servandam tridentinam dispositionem. Sed ex mente Tridentini judicio et prudentiæ Episcopi permitti, ut si quandoque gravis causa intercederet, concederet Parochis facultatem denunciandi matrimonia diebus supradictis, dummodo adhuc frequens populi concursus ad Ecclesiam verificaretur.

10. Pariter in *Avenoniensi* 25. Octob. 1586 responsum est, ordinarium posse ex causa dispensare ut dum cantantur Vesperæ possint fieri denunciations diebus festis.

Consonat alia resolutio ejusdem S. Congreg. in Ravennatensi lib. II. Decret. pag. 260.

Ex quibus resolutionibus infertur posse ex Episcopi venia denunciations fieri extra missarum solemniam dierum festivorum, et diebus etiam non festis de præcepto dummodo frequens populi concursus habeatur quia scopus Concilii Tridentini in hac hypothese procul dubio pertingi potest.

11. *Tertio*: potest Episcopus dispensare quominus denunciations matrimonii fiant. Ita in Trid. loc. cit.

Potest insuper Prælati veræ nullius Diœcesis, qui nempe jurisdictionem quasi Episcopalem obtinet dispensare, quia isti veniunt nomine Ordinariorum. Pariter potest dispensare ipse etiam Vicarius Generalis, vi generalis mandati, nisi fuerit expresse reservata potestas. Ita sentit S. Congr. in *Farfensi* die 25. Jan. et die 26. Martii 1707.

12. Non sufficit vero dispensatio concessa ab ordinario loci ubi contrahitur matrimonium, si alter ex contrahentibus ad alterius Episcopi diœcesim pertineat, sed requiritur ut alter ordinarius, vel remittat denunciations, vel saltem fidem faciat de status libertate subditi sui. Ita S. Congreg. Concilii in *Visen.* 20. Aprilis 1606.

13. Animadvertendum est dispensationem a denunciationibus faciendis, ut adnotat Bened. XIV. in constitutione '*Satis Nobis*' 17. Novem. 1741, non esse remissam soli voluntati concedentis,

sed requiri justam causam ad eam concedendam; Concilium enim coërcet Ordinarium prudentiæ discretique arbitrii legibus.

14. Causæ plures a Doctoribus adsignantur. Præsertim vero sunt 1^o. si prævideatur matrimonium ex malitia posse impediri vel unum ex sponsis a fide data in sponsalibus resilire injuste posse; 2^o. si periculum sit scandali, aut infamiæ, vel si prævideatur gravis erubescencia, et pudor contrahentium, 3^o. si dilatio matrimonii secumferat periculum gravis damni in bonis fortunæ vel quod magis est, secumferat periculum incontinentiæ, vel alterius gravis damni spiritualis. 4^o. Remittuntur denunciationes in matrimoniis Principum et magnatum. Facile enim eorum impedimenta cognosci possunt, si adsint.

15. Ideo institutæ sunt denunciationes jure Ecclesiastico, ut impedimenta revelentur si adsunt inter personas, quæ matrimonium contrahere desiderant. Porro intentio juris est, ut qui sciant existentiam impedimenti, illud revelare teneantur. Quare in cap. 7. *De cognat. spirit.* Innocentius III. tradit eum qui sciat matrimonium contractum fuisse cum impedimento cognationis spiritualis, teneri ad illud matrimonium denunciandum Ecclesiæ. Agitur enim de avertenda ruina spirituali proximi nostri, et de vitanda irreverentia sacramenti. Adeo autem urgere tradunt Doctores præceptum nunciandi impedimentum, ut illud manifestare teneantur fideles licet cognoscant sub secreto naturali.

16. Verum idem Innocentius in c. 3. h. t. tradit denunciationes fieri, ut intra terminum præfixum, *qui potuerit, et voluerit, legitimum impedimentum opponat*. Quare verba videntur remittere arbitrio fidelium manifestationem impedimenti, quod cognoscant.

Ut Innocentius a contradictione purgaretur forsitan dici posset in cap. 7. *de cognat. spirituali*, ipsum loqui de matrimonio jam contracto; in cap. autem 3. h. t. loqui de matrimonio contrahendo.

At ratio hæc conciliandi duo capita est nullius valoris juridici. Etenim silentium in utroque casu occultat impedimentum, ex quo illegitima conjunctio maris et feminae resultat.

Verior conciliatio capitum habebitur, si dicatur etiam in cap. 3. h. t. sermonem esse de præcepto fidelibus imposito, manifestandi impedimentum quod cognoscant. Illud autem: *qui voluerit*: explicandum est ut significet, omnes quidem de populo indistincte admitti ad denunciandum impedimentum, nec fieri distinctionem gradus, sexus, ætatis vel conditionis personarum, sed omnes prorsus

indiscriminatim admitti debere, ad denunciandum impedimentum. Hinc illud *qui voluerit* idem significat ac *quicumque voluerit*. Ita Doctores cum Glossa ad idem verbum, *voluerit*.

17. Illud vero *si potuerit* Doctores ita explicant ut quis non teneatur impedimentum revelare cum gravi suo incommodo aut præjudicio, quia præceptum manifestandi impedimentum innititur legi charitatis erga proximum, quæ non exigit, ut quis periculum et damnum alienum, cum periculo et damno proprio removeat.

18. Matrimonium contractum absque denunciationibus est quidem illicitum, non autem invalidum et per consequens omissio denunciationum solummodo *impediens* impedimentum constituit. Tridentinum enim præcepit denunciationes præmittendas, non autem irritavit matrimonium, absque denunciationibus contractum.

19. Maxime autem institit concilium, ut denunciationes præmitterentur matrimonio, adeo ut si fuerint omissæ, fieri deberent etiam post matrimonium contractum; ante tamen ejus consummationem.

20. Hinc dignis pœnis puniuntur, qui in hac re delinquant. Et 1^o. *Parochus*, qui sciens denunciationes factas non esse, matrimonio assistit, incurrit pœnam suspensionis *ferendæ sententiæ* per triennium duraturam et ab Episcopo applicandam. Cap. 3. h. t. § ult.

Circa hanc pœnam utpote constitutam a jure communi, non poterit infra triennium dispensare Episcopus. Cf. Bened. XIV. *De Synodo Diœc. lib. XII. c. 6. n. 2.*

Potest vero etiam gravius puniri juxta gravitatem culpæ. Ita in cap. 3. h. t. verbo *'sane'*.

21. Relate ad *testes*, qui scientes assistunt matrimoniis, absque præviis denunciationibus contractis, pœna specialis statuta non est in jure. Verum adnotat Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. XII. c. 6. n. 2.* posse Episcopos et particulares Synodos convenientem pœnam contra ipsos statuere, quia præsentia sua confirmant, et authenticum reddunt actum, celebratum contra expressam legem Ecclesiæ.

Hinc pœna hujusmodi non est contra dispositionem canonum et juris communis, quam pœnam non posset Episcopus aut Synodus particularis statuere, sed potius pœna hujusmodi adhæret intentioni juris ipsius, et illud tuetur. Jus commune enim interdicens graviter omissionem denunciationum, certe non vult impu-

nitam esse assistentiam præstitam ab istis testibus, matrimonio inito contra leges Ecclesiæ. Cf. Bened. XIV. *loc. cit.*

22. Contra *ipsos contrahentes* triplex est statuta pœna. 1º. Juxta dispositionem Concilii Tridentini *in cap. 5. sess. 24. de Ref. matrimonii*, si contractum fuit matrimonium absque denunciationibus in gradibus ab Ecclesia prohibitis, contrahentes amittunt spem obtinendæ dispensationis. Non enim, ait Tridentinum, dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.

2º. Proles, quæ forte ex connubio nascatur, illegitima habetur, si impedimentum inter contrahentes existat, licet illud fuerit ab utroque, vel alterutro ignoratum. *C. 3. h. t. § 'Si quis vero'*. Ratio est quia in casu sponsi prætermittentes medium ab Ecclesia designatum ad detegendum impedimentum præsumuntur versari in mala fide: hinc vel impedimentum agnovisse vel ignorantiam affectatam habuisse.

3º. Licet matrimonium contractum fuerit in gradu non prohibito, tamen convenienti pœna seu pœnitentia mulctandi sunt contrahentes. Ita *in cap. 3. h. t. § ult.* Sacra autem Congreg. Concilii in *'Florentina'* 17. Febr. 1629 tenuit posse imponi pœnam pecuniariam piis locis applicandam.

De matrimonio conscientiæ.

23. Quamvis intentio juris Ecclesiastici semper fuerit, ut matrimonia publice celebrarentur, adeo ut Ecclesia præcedentes denunciations exegerit, tamen suadentibus prudentiæ rationibus, permissa sunt et permittuntur matrimonia conscientiæ, quæ nempe coram Parocho vel alio sacerdote specialiter deputato et duobus testibus confidentibus ac fidelissimis, contrahuntur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeant, quamdiu conjugibus ipsis illud manifestare non placeat. De hoc matrimonio conscientiæ agit Ben. XIV. in const. *'Satis Nobis' die 17. Nov. 1741.*

24. In hac constitutione Summus Pontifex primo loco describit mala, quæ solent oriri ex matrimoniis occultis. Quare matrimonia hæc occulta et conscientiæ non possunt admitti nisi interveniat auctoritas Episcopi, qui judicet an expediat nec ne celebratio eorum. Videre scilicet debet Episcopus, utrum contrahentes sint sui vel alieni juris, an sint filii familias, quorum nuptiæ rationabili parentum voluntati sint contrariæ; an vir sit persona

Ecclesiastica in minoribus ordinibus constituta, obtinens pensiones vel beneficia ecclesiastica. Tunc vero permittendum est ab Episcopo matrimonium conscientiæ, quando vir et fœmina in figura matrimonii publice degentes, quin ullam contra suam honestatem ingerant suspicionem, tamen vivunt in occulto concubinato.

25. Ante autem celebrationem curia Episcopalis prudenter inquirat, utrum inter personas contrahentes, extet nec ne impedimentum. Celebratio autem hujus matrimonii facienda est, absque ullis denunciationibus; in reliquo forma Tridentina servata, imposita Parocho vel sacerdoti assistenti, et testibus lege de silentio in perpetuum servando.

26. Matrimonium vero describi et adnotari non debet in communi libro conjugiorum, quem ex præscripto concilii Tridentini Parochus servare tenetur (*c. 1. sess. 24. De Ref. matrim.*), sed in libro secreto, qui in Cancellaria curiæ Episcopalis clausus, et sigillis obsignatus custodiendus est.

27. Quid vero dicendum de prole: quæ forte ex matrimonio occulto enascatur?

Statuit Benedictus XIV. § 17 constitutionis citatæ, per Parochum, seu per sacerdotem deputatum serio monendos esse conjuges eo pacto permitti matrimonium occultum, ut soboles inde procreanda, non solum regeneretur sacro baptisate, sed post baptismum denunciatur Episcopo, cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum a quibus ortum habuit, alioquin matrimonium licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferri posse in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab iis injuriam illegitimitatis. Unde in § 12. cit. const. statuitur vulganda esse matrimonia secreta, si proles baptizata fuerit suppressis nominibus parentum, et nulla præstita Episcopo notitia intra triginta dies renumerandos a nativitate prolis.

28. In curia autem Episcopali, nativitas et baptismus horum filiorum notabitur in libro secreto. Attestatio autem sive celebrati matrimonii, sive sobolis ex eo procreatæ, eandem fidem sibi promeretur, quam habent attestations excerptæ ex libris publicis (§ 14. cit. const.).

29. Quid vero dicendum, si ex matrimonio occulto scandalum in populo oriatur?

Scandalum oriri ex matrimonio conscientiæ dicendum est, quoties populus videat occultos conjuges continue se maritali affe-

ctione tractare, et nesciens ipsos esse veros legitimosque conjuges, arbitretur eos esse concubinos.

30. Profecto auctoritas Ecclesiastica, quæ lege silentii sese obstrinxit, ante omnia admonebit occultos conjuges, ut vel eo modo sese gerant ut scandalum removeatur, vel proprium matrimonium evulgent. Quod si admonitio in vacuum cedat, et nullum aliud remedium suppetat ad scandalum removendum, arbitramur posse ab eadem auctoritate Ecclesiastica, absque periculo læsæ datæ fidei vulgare matrimonium. Nam ex mente Ecclesiæ censentur permissa matrimonia occulta dummodo scandalum removeatur, prout insinuat Bened. XIV. in cit. Encyclicis litteris § 2. circa finem, et per consequens, quoties scandalum ex iisdem enascatur, cessat ratio ob quam possint ceu occulta retineri. Cf. *Giraldi Exposit. Juris Pontificii Part. 1. Sect. 674. Comm. ad c. 2. De cland. Despons.*

II.

De forma substantiali contractus matrimonii.

31. Diximus matrimonium secundo loco appellari clandestinum ex defectu solemnitatum essentialium.

Jure decretalium matrimonia alia sunt *publica*, quæ nempe in facie Ecclesiæ et servatis ritibus sacris contrahebantur, alia erant *clandestina*, quæ nempe per privatum et occultum contractum celebrabantur; alia tandem erant matrimonia *presumpta*, de quibus agitur in c. 30. *De Spons. et Matrim.*

Quamvis Ecclesia semper voluerit ut matrimonia publice contraherentur, et ritu sacro consecrarentur, ceu testantur priores sex canones a Gratiano relati in caus. 30. q. 5. tamen aliquando recepit etiam ceu vera matrimonia ea, quæ clam contrahebantur.

32. Jus antiquum circa hæc matrimonia exhibetur in capp. 1. et 2. h. t. In secunda parte capituli 2. tradit Alexander III. matrimonia clandestina si a partibus revelentur recipienda esse et comprobanda perinde ac si fuissent a principio in conspectu Ecclesiæ contracta dummodo aliquod impedimentum non obstet. Igitur matrimonia clandestina valebant.

33. Verum ut ab Ecclesia reciperentur et comprobarentur, necesse erat ut constaret de facto celebrationis. Qua in re triplex fieri poterat hypothesis: 1^a. si uterque conjux revelasset Ecclesiæ matrimonium secreto contractum; hoc in casu censebatur plene

demonstratum esse, factum celebrationis, 2^a. si uterque conjux potuisset negare et revera negavisset factum celebrationis. Hoc in casu deficientibus probationibus, conjuges non poterant compelli ad mutuum et maritalem vitæ consuetudinem servandam, idest non poterat recipi matrimonium uti validum, quemadmodum traditur ab Alexandro in prima parte c. 2. h. t. 3^a. Si unus ex conjugibus asseruisset, factum celebrationis matrimonii et alter illud denegasset; hoc in casu juxta cap. 1. h. t. ille qui assererat factum, illud probare debebat. Facta enim non præsumuntur sed probantur. Qui autem asserit in judicio probare tenetur, quia negantis factum nulla est probatio. Ita cap. 1. h. t. explicatur a glossa juxta indolem et leges judiciorum.

34. Hæc erat dispositio ante concilium Tridentinum. Vidit vero Tridentinum Concilium, ob hominum malitiam plura posse mala derivare ex clandestinis conjugiiis et de facto derivasse. Præsertim vero cognovit viam aperiri effrenatæ licentiæ, qua valida matrimonia deserebantur ob defectum probationum sufficientium, et coram Ecclesia nova conjugia contrahebantur, quæ in foro conscientiae irrita erant.

Perspexit insuper Tridentinum, ex iisdem matrimoniis fieri posse ut ordinibus sacris initiarentur nonnulli, qui vinculo conjugali adstringebantur, quique ob defectum probationis, publice habebantur ceu pleni sui juris, et domini actuum suorum. Quare ad hæc mala vitanda, Patres Tridentini precibus oratorum Regis Galliarum, *irrita* dixerunt matrimonia clandestina.

35. Enatæ autem sunt difficultates, in hujusmodi decreto conficiendo. Nam nonnulli Theologi et Patres arbitrati sunt non posse id facere Concilium sed ingredi materiam sacramenti matrimonii, et declarari nulla ea conjugia, quæ eo usque habita fuerant uti valida.

36. Sed ex adverso notatum est posse Ecclesiam declarare inhabiles ad contrahendum certas personas ob defectum alicujus qualitatis, quemadmodum factum est in impedimento cognationis carnalis, usque ad quartum gradum lineæ transversæ, quod fieri potuit quin ipsa substantia sacramenti mutaretur.

37. Quapropter decretum conceptum est ita, ut ipsas personas contrahentes afficeret, quas inhabiles decerneret ad contrahendum clandestinum matrimonium, dictumque est in c. 1. sess. 24. *De Reform. matrim.*: 'Qui aliter quam præsentem Parocho vel alio

sacerdote de ipsius Parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.

38. Vi hujus decreti cessaverunt matrimonia clandestina, et matrimonia præsumpta. Nam esto quod inter duas personas possit habere locum mutus consensus in sponsalibus; esto quod copula carnalis libera inter sponsos possit haberi tanquam signum sufficiens præstiti consensus matrimonialis, tamen post hanc dispositionem non sufficit quomodocumque exprimere consensum sed consensus exprimendus est coram Parocho, et duobus vel tribus testibus.

Quare forma substantialis matrimonii contrahendi constituta fuit a concilio Tridentino in *cap. 1. sess. 24. De Ref. matrim. Cf. Bened. XIV. De Syn. Diœc. l. VIII. c. 13. n. 5.*

39. Quæritur quænam sit extensio istius Tridentini decreti.

Decretum hujusmodi fundatur in periculo generali, seu in periculo malorum, quæ in Christiana societate procedere poterunt, et revera procedebant ex clandestino matrimonio. Hinc est Decretum quod natura sua generaliter vigeat. Nam dispositiones juris, quæ introductæ sunt ob rationes generales, et ob periculum generale, valent etiam in casibus particularibus, in quibus periculum forte non verificatur. Hinc licet aliquando ob optimas qualitates personarum, timeri non possint mali exitus ex matrimonio clandestino, tamen illud contrahi nequit ob regulam generalem contrariam. Igitur decretum naturam præfert dispositionis generalis.

40. Verum ex mente Tridentinorum patrum, aliquam limitationem pati potest decretum. Siquidem cum leges præsertim irritantes, quæ sunt odiosæ debeant habere pleniorum promulgationem in populo, hinc Tridentinum statuit quoad hoc decretum non sufficere qualemcumque promulgationem, sed eam requiri ex qua nemo posset allegare propriam ignorantiam. Statuit scilicet Concilium, decretum hoc esse legendum seu promulgandum in qualibet Parœcia, et effectus irritantis legis incipere voluit post triginta dies a facta denunciatione enumerandos. Cum vero pluries promulgari et populo explicari hoc decretum ex mente Patrum Tridentinorum deberet, iidem Patres Tridentini statuerunt triginta dies computandos esse a prima promulgatione decreti ejusdem.

41. Ex hac dispositione speciali sequitur pro valore effectuum irritantium attendi factum promulgationis. Hinc in Parœciis in

quibus decretum promulgatum non est sive causa ob quam fieri non potuit promulgatio, legitima sit, sive ea sit illegitima, decretum Tridentinum non sortitur effectus suos. Non enim attenduntur rationes omissæ publicationis, sed ipsa publicatio attenditur, utrum ea locum habuerit vel non.

42. Quæritur quomodo constet publicationem factam fuisse.

Si certa reperiatur memoria publicationis factæ, nullum dubium potest excitari de valore legis conciliaris. Quod si positivum monumentum non adsit, hæc quæ sequitur regula adoptanda est. *'Ibi præsumitur facta promulgatio decreti conciliaris, ubi constet jam usu receptum fuisse, ut coram Parocho et duobus vel tribus testibus contraheretur matrimonium, in executionem decreti Concilii Tridentini.'*

Ita tradit Bened. XIV. *de Syn. Diœc. lib. XII. c. 5. n. 6.* ubi refert hanc regulam fulciri decisionibus S. Congregationis Concilii, præsertim vero in responsione data die 26. Sept. 1602.

43. Quid vero dicendum si constet publicationem decreti Tridentini factam non fuisse, potestne fieri, et quomodo fieri debet publicatio?

Bened. XIV. in cit. loco n. 7. et seqq. refert quæstionem agitatam in Congregatione Concilii, et in Congregat. De Propaganda fide, occasione capta Synodi Kioviensis celebratæ die 11. Oct. 1619.

44. Cum in diœcesi Kioviensi et in tota ruthena Provincia non fuisset promulgatum decretum Tridentinum, et scandala plurima provenirent ex clandestinis conjugiiis, Patres Synodi decretum confecerunt ex quo declarabantur irrita matrimonia, absque Parochi et duorum vel trium testium præsentia inita. Patres Synodi jusserunt, decreti hujus per Parœcias faciendam esse quam primum publicationem. Nullam vero fecerunt mentionem Concilii Tridentini, ne schismatici ob odium adversus idem Concilium, magis retraherentur ab unione cum catholica Ecclesia.

Quæsitum est utrum hoc synodale decretum, per quod dispositio Tridentina in singulis Parœciis promulgabatur, haberet effectus legis irritantis matrimonia.

45. In Congr. diei 2. Dec. 1628 responsum est *'Negative'*; quare decretum hujusmodi habitum est ceu lex correctiva juris communis juxta quod matrimonia clandestina valent in locis ubi Tridentinum Concilium promulgatum non est. Jamvero Episcopus, vel Syno-